

privatus Doctor ausus esset expositionem decreti edere, inconsulto decreti conditore adhuc superstite, in cujus aliquam dehonestationem cedere dicebant eam interpretationem viventis ac superstitis decreto appositam, tametsi bonam, et in qua nihil jure posset reprehendi. Unde censet Caspensis, quidquid in hoc negotio circa librum Suaris præscriptum Romæ est, neque ad rejectionem doctrinæ a Suare propositæ, quam Paulus V inserens Rituali quasi canonisavit, neque ad improbationem explicationis ab eo ad Clementis verba appositæ pertinere, cum reipsa neutrobique sit a Suare peccatum, et tam doctrina ipsius inserta postmodum Rituali, quam explicatio Clementino decreto ab eo adhibita, veritatem contineant; censet ergo quod postea circa librum Suaris Romæ gestum est, aliud non fuisse quam mortificationem auctori interpretationis prædictæ impactam, eo quod videretur non debuisse exponere decretum, etiamsi publice jam propositum, nec vacans ambiguitate, ante consultum decreti conditorem. Quæ si fuit aliqua in Clementem irreverentia, ut obtinebant Suaris æmuli, non erunt sane expertes labis plerique jurisconsulti, qui edicta principum superstitem sic vel sic accipienda docent, et commode interpretantur. Sed irreverentissimum fuisse in S. D. N. Innocentium X fatendum erit Fratrem Nolanum, Ordinis Prædicatorum, ad Sanctam Mariam supra Minervam Theologiæ professorem, qui Romæ, in ipsis Pontificis superstitis oculis, ejus decretum contra hæreses Jansenianas solemniter damnatas, calente adhuc (ut sic dicam) decreto, interpretatus est adeo perverse, ut, si admissa fuisset ejus interpretatio, hæreses illæ fuissent salvæ et immunes a damnatione, Pontifex autem delusus et de collocata frustra opera notandus fuisset. Easdem indignas decreti Innocentii glossas F. Antonius Reginadus, æque Ordinis Prædicatorum, physicæ prædeterminationis tantum volens, invexit, atque adeo uterque summum Pontificem dehonestavit, et multa dignus est, cum ob perversam interpretationem, cum ob eam superstite Pontifice adhibitam, de quo secundo, socii istorum insimulavere Suarem.

CAPUT X.

DE ALIIS MODIS SUBMINISTRANDI PARTEM MATERIALEM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ PER INTERNUNCIUM AUT LITTERAS.

Consulto hactenus discussi præcipuam et magis operosam difficultatem quæ cerni potest in sacramentali expositione peccatorum, facta sacerdoti absenti, a pœnitente omnimodis impedito ad sacerdotem accedere; nempe in eventu quo æger, præmissa significatione suæ voluntatis de aperienda sacerdoti, cum advenerit, conscientia, nihil tamen distincte aperuit, ac ne ulla quidem externa doloris signa dedit; sed subito obmutuit, adeoque oppressus est, ut ne minimo quidem signo aut nutu possit, vel voluntatem confitendi, quam præhabuit nec retractavit, præsentis sacerdoti patefacere, vel dolorem de peccatis procedere. Monstratumque est, juxta S. Leonem et Concilia antiqua, ac usum in Ecclesia receptum, talem ægrum, qui suam confitendi voluntatem prius manifestaverit, et multo magis, si expressioni voluntatis confitendi adjunxerit explicite expressionem sui doloris de peccatis, posse sacramentaliter absolvi. Nunc videndum superest quid statuendum sit de expositione sacramentali peccatorum, paulo minus confusa; puta, si præter confitendi voluntatem exterius expressam, et idoneorum testium assertionem firmatam patefactamque sacerdoti qui abfuit, cum ea voluntas est ab ægro elicitæ, præmissa sint signa externa doloris peccatorum, de quibus signis sacerdos præsens doceatur per idoneos testes. Quæritur enim, possitne impendi ægro absoluto a sacerdote cum aderit, etiamsi tunc neque voluntas confitendi, neque signum aliquod doloris de peccatis ab ipsomet ægro prodatur? Qui eventus non parum differt a priore, in quo sola voluntas confitendi absque ullo externo doloris signo fuisset manifestata. In priore enim eventu, tantum præsumitur materia proxima absolutionis; in isto autem explicite prolata est in signis doloris exhibitis, et saltem moraliter perseverat. Quid si vero ultra signa contritionis, quæ habent se ut confessio generalis, accedat specialis confessio, per expressionem, quomodolibet exhibitam, alicujus specialis peccati, factam sacerdoti præsentis ab ipso ægro, vel absenti per internuncium aut litteras? Tandem quid si expressio, etiam distincta, omnium peccatorum, quæ sunt in

pœnitentis conscientia, fiat absque directione ad claves, non expresso distincte desiderio consequendi absolutionem de peccatis, quæ pœnitens abs se admissa agnoscit et dolet?

Quid in primo eventu sit statuendum, fere constat ex dictis circa eventum præmissæ voluntatis confitendi. Fere enim ei disputationi adjunximus eventum quo præmissa item sint signa externa doloris: quia nihil proclivius quam ut qui significat se velle confiteri, prodatur etiam aliquatenus dolorem suum de peccatis. Quia tamen, præcise loquendo de expressione voluntatis confitendi, diximus et evicimus eam seorsim a signis doloris explicite propositis posse sufficere ad consequendam absolutionem, age dicamus nunc de primo horum eventuum, quo signa doloris explicite quidem exhibita sunt, sed ita antecesserunt, ut præsentis sacerdote nullum signum doloris voce, gestu aut nutu, a pœnitente proferatur. Fuerunt ergo qui assererent in eo eventu negandam esse absolutionem. Quam sententiam probabilem esse ac tutam, et esse multorum recentiorum, affirmat Petrus de Ledesma, tract. de Pœn., c. 2, d. 3. Referuntur in eadem sententiam Abul. Matth., 16, q. 49 et 79; Major in 4, d. 14; Canus, relect. de Pœnit., part. 5, versic. *At inharendo*; Soto, in 4, d. 18, q. 2, art. 5; Martinus Ledesma, 2 p. quarti, q. 8, art. 4; Curiel., in tract. de Pœnit. inedito, q. 13, ad 3; Baptista Corrad., ad q. 10 casuum; Petrus Ledesma, supra, dub. 2, in fine; Alvarez, diffic. sæpe citata, n. 23. Adeo vero constanter in ea doctrina hæsit Coquetius, c. 7 dissertationis, n. 20, ut de contraria dicat, *se non posse eam in animum inducere; neque sane videre quam speciem probabilitatis habere possit.*

Induxerunt tamen eam in animum suum, et probabilitatem illius contrariæ assertionis perspexerunt omnino multi, et quidem primæ notæ scriptores: Vasquez, 3 p., q. 91, art. 2, dub. 1; Toletus, l. 3 Instructionis sacerdotum, c. 8; Medina, C. de Confess., tract. 2, q. de Absolutione ab oblitis; Ruardus, art. 3, § *Complexitur*; Driedo, de Captivitate et redempt., tract. 4, c. 2, p. 8, n. 1; Corduba, quæst. 39 de Indulg.; Zambranus, c. 4, dub. 2, sect. 5; Suarez, tom. 4, tertia p., d. 21, sect. 4; Manuel Sa, verbo *Confessio*. Nugnus, quæst. 9, Supplem., art. 2, dub. 1, § *Sed quid*; Sylvius, ibidem, quæst. 4. Et quod caput est, S. Leo et Concilium Arausicanum, ac duo Carthaginensia eadem doctrinam tradiderunt, ut satis supra expensum est. Ratio

autem cur hujusmodi æger sit absolvendus, est manifesta, nimirum quia nihil desideratur ad confectionem veri sacramenti et absolutionis collationem necessarium, sive ex parte sacerdotis, qui supponitur præsens cum est conferenda absolutio, sive ex parte ægri, qui subministravit ex parte sua materiam idoneam, externis signis, quæ adhibuit dum sui compos esset, comprehensam, ut satis superius est declaratum. Quidni ergo possit absolvi, cum præstitit quod potest? Id enim Deo sufficit. Recolenda sunt et huc accomodanda quæ dicta sunt c. 7.

Opponit in contrarium nonnulla Coquetius, c. 7 dissertationis, sed admodum levia. Imprimis urget in eo eventum ægrum nullam facere confessionem, tametsi exhibuit externa signa doloris de peccatis, et voluntatem suam de obeunda confessione. Hoc leve est. Nam illa voluntas, præsertim convestita externis signis doloris, qualem nunc spectamus, in eo eventu excludente possibilitatem distinctioris confessionis, est sufficiens confessio. Addit adversarius neminem hactenus fuisse, qui dixerit eum haberi pro confesso et idoneo ad recipiendam absolutionem, qui, postquam dixit confessario se velle post horam confiteri de peccatis quæ a se admissa dolet, mox apoplexia correptus, non potest sacerdoti illico adveniendi ullum signum exhibere. Hæc est manifesta petitio principii, quia hoc ipsum est quod nunc agitamus. Nec aliter ineptit adversarius, cum mox objicit tanquam absurdum quod, juxta nos, absolvendus esset qui, postquam accidisset ad genua sacerdotis, inchoaturus confessionem, et pectus tutudisset, prorsus obmutesceret, correptus apoplexia. Hoc valde insulse objicitur, cum sit ipsa sententia quæ suscipiebatur impugnanda, nec aliquid contra eam proferatur, nisi ipsamet sententia impugnanda; quod revera est ineptire, et principium ridicule petere. Et idem dico de alia adversarii objectione, quia, scilicet, sequeretur expositionem peccatorum fieri absenti; necnon de alia, qua opponit præsentiam talem ægri, esse præsentiam mutam et mere corporalem, non moralem, qualis ad negotia conficienda requiritur. At quod ea ipsa præsentia muta sufficiat ad gerendum hoc negotium, est conclusio nostra, quam opponere pro objectione, est hominis ineptientis nec habentis quod opponat.

Cum tamen debilis et male materiata sit universa Coquetii adversus doctrinam propo-

sitam disputatio, mirabile tamen est quanta audacia, cap. illo septimo, num. 38, adversus eam bacchetur, negans esse probabilem, vel extrinseca vel intrinseca probabilitate. Probabilitas intrinseca ducitur ex rationibus rem aliquatenus et saltem apparenter suadentibus; extrinseca autem ducitur ex auctoritate eorum qui ita senserunt, juxta doctrinam Aristotelis, 1 Topic., c. 1, et 1 Ethic., c. 4. Ex neutro ergo capite ait Coquetius opinionem propositam habere aliquid probabilitatis, quia rationes, si quæ pro ea sunt, sumuntur ex decretis in alium sensum contortis, et prave explicatis; at vero Doctorum asserentium auctoritas adeo exigua est, ut probabilitatem nullam conferre possit. Unus enim ex alio, ex affectu, et re non satis librata, ita docent, quod ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem non sufficit. Ista tam licenter effutienti Coquetio reponendum est, quod Augustinus Petiliano, l. 2 contra ejus epist., c. 4. Multa enim in adversarium jactanti, et nihil solide adstruente, reponit sanctus Doctor: *Hæc si dicam de talibus esse dicta quales vos estis, respondebis: Proba. Quid enim? Tu probasti? Aut si eo putas probari quia dicuntur, non opus est eadem repetere. Recita illi ipsa tibi, et a vobis in vos. Ecce et ego probavi, si hoc est probare.* Dimissa autem et condonata profusa ineptissime verborum acerbitate, huic scriptori, tum in hac, tum in aliis ejus scriptionibus perfamiliari, affirmit doctrinam propositam, et spectatis rationibus quibus astruitur, et spectata Doctorum, a quibus traditur, auctoritate, esse omnino probabilem; nec speculative tantum, sed etiam practice, contra ineptam notionem opinionis practice probabilis, positam a Coquetio, ibidem, num. 39, statuentis non esse practice probabilem eam sententiam, quam illi quoque, a quibus falsa censetur, non putant posse executioni mandari absque peccato. Unde quia ipse et aliqui ex nuperis Thomistis non putant sententiam, pro qua satagimus, posse reipsa usurpari absque peccato, quamvis alii omnino multi, nec infimæ notæ, secus statuunt, infert eam doctrinam non esse practice probabilem. Quo pacto, vix ulla opinio, dissidentium sacrarum familiarum contentionibus agitata, esset practice probabilis; cum facillimum sit et familiare ut qui ex una parte adversus aliam stant, de sententia partis oppositæ pessime statuunt, nec posse absque peccato exerceri contendunt. Notio ergo opinionis practice probabilis restringenda erat ad sensum Doc-

torum, non jurantium in aliena verba, nec ductorum affectu erga suos immoderato; cujusmodi sunt qui, cum Coquetio, de proposita sententia tam severe statuunt.

In altero eventu ex proxime propositis, quo pœnitens, præsentem sacerdote, quamvis nullum in specie peccatum exprimat, exhibet tamen signa doloris qualiacumque, admittendum est eum esse absolvendum. Et ita diserte habent Eusebius Papa, apud Burchardum, l. 8, c. 11, perperam passim adductus, pro absolutione ejus qui prorsus obmutuit ante adventum sacerdotis, et eo adveniente nulla potest signa doloris et voluntatis confitendi exhibere. At Eusebius diserte agit de ægro qui in præsentia sacerdotis exhibet signa prædicta. Verba ejus sunt: *Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, fuerit officio lingue privatus, constitutum est ut, si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petisset, et ipse per nutum suæ voluntatis aliquod signum facere potest, sacerdos impleat omnia, sicut supra ægrotantem pœnitentem scriptum est; id est, orationem dicat, et ungat eum oleo sancto, et Eucharistiam donet.* Dicere orationem, idem est quod absolvere. Nam omnia verba sacra dicuntur *supplicationes*. Et ita expresse S. Leo, epist. 91. Et eodem sensu aliquando verba consecrationis dicuntur *preces*, apud D. Augustinum et alios. Itaque auctoritas Eusebii cadit proprie in eventum de quo agimus; pro quo etiam facit S. Leo. Nam, quamvis plus aliquid addit, et eum quoque, qui prorsus jacet oppressus, si sint qui testentur de ejus anteriore dispositione, absolvi velit, tamen præmittit absolvendum esse eum qui, absque expressione speciali ullius peccati, exhibet præsentem sacerdoti signa doloris de peccatis, et voluntatis consequendi de eis absolutionem per sacerdotem. Id ipsum in Rituali Romano præscribitur, titulo de Pœnitentia. Et sane si absolvi potest qui nulla præsentia signa doloris de peccatis suis sacerdoti exhibet, cum aliqui testantur quod ea præhabuerit, multo magis absolvi poterit qui actu et explicite, per indicia aliqua, ipsemet sacerdoti præsentem suum dolorem testatur, suumque consequendæ absolutionis desiderium per se patefacit. Multus in hoc elucidando est Zambranus, c. 4, dub. 2, sect. 4. Sed res ex ante disputatis videtur sufficienter exposita.

Unica est difficultas, quam et adversus hanc resolutionem, et adversus proxime datam, aliquando intortam audire memini,

nempe quod Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 5, requirat talem expressionem peccatorum, ut ex ea cognosci possit a confessario status pœnitentis. Atqui per hujusmodi expressiones peccatorum in signis generalibus doloris comprehensas, confessario nihil innotescit quod non æque sciret prius; nempe quod pœnitens sit peccator. Atque ita confessarius non poterit ferre iudicium de hujusmodi pœnitente, nec poterit conficere verum sacramentum, quod deponit materiam aliquam determinatam, quæ hic non suppetit, sed tantum exhibetur aliquid generale, atque adeo indeterminatum, de quo non potest directe ferri iudicium. Actus enim doloris externus est aliquid generale, et aptum cadere in plane multa et varia; atque adeo iudicium quod de eo feretur, non poterit esse singulare et determinatum.

Hæc difficultas non difficile expeditur. Falso enim assumitur, in his eventibus non innotescere confessario statum pœnitentis. Revera enim innotescit, quantum hic et nunc fieri potest. At hoc est totum quod a pœnitente deponit Deus. Simile est de eo qui tantum generatim recordatur se admisisse aliquod peccatum, cujus species illi exciderit. Talis enim, ad eum modum exponens suum illud peccatum, absolvendus est, juxta S. Thomam, in 4, d. 21, q. 2, a. 1 et 2; et Paludanum, eadem distinctione, q. 2, concl. 2, a. 2, atque adeo patefacit statum animæ suæ, et materiam determinatam sacramentali iudicio directe subjicibilem exhibet; ille enim actus externus est aliquid singulare ac determinatum. Falso item assumitur statum pœnitentis non innotescere aliter quam prius; nesciebatur in hoc foro eum esse peccatorem, et dolere de divina offensa quam contraxit, quod nunc sacerdos cognoscit in hoc foro.

Alius eventus ex proxime propositis, is erat quod peccatum aliquod specialiter sit expressum per aliquod signum præsens aut prævium, vel per nuncium aut scripturam transmissam ad absentem. Hic eventus eodem modo est expediendus quo priores, nempe dicendo absolutionem in eo eventu esse impendendam. Nam si is qui nullum plane peccatum specialiter expressit, sed tantum voluntatis confitendi, vel insuper doloris de peccatis externa signa prodidit, confessario tunc absentem significata, capax est absolutionis, quia facit quod potest, et verisimile est Christum institutionem sacramenti pœnitentiæ conformasse ad humanam necessitatem, multo

magis qui peccata ad confessarium scripto transmiserit, vel per internuncium renuntiari jusserit, aut qui præsentem sacerdoti nutibus ac signis aliquibus ea speciatim aperuerit, censendus est dispositus ad absolutionem a sacerdote consequendam, etiamsi præ defectu virium aut signorum idoneorum non exponeret omnia sua peccata, de quibus dolet, sed aliqua tantum, vel etiam unum duntaxat. Verum est neminem teneri ad significanda absentem sacerdoti peccata sua, plura, vel unicum, per litteras, vel per internuncium, ut fert communis sententia Doctorum; eo quod modi illi aperiendi peccata sint obnoxii evulgationi, per quam pœnitens fama sua excideret; Deus autem, qui benignus et misericors est, noluit tam austero præcepto, quo fama profligaretur, gravare pœnitentes. Si tamen quis ultro eligat ei periculo se exponere, nemo id illi jure negare potest, cum sit dominus famæ suæ, possitque eam discrimini objicere justa de causa, qualis est aperiendi confessario distinctius atque adeo securius sua peccata. Si autem contingeret eventus periculi æternæ mortis, in quo pœnitens non posset aliter aperire sacerdoti sua peccata, obligaretur ea significare scripto, nisi contritio perfecta exolveret eum hac obligatione; quia charitas propria in discrimine æternæ salutis, quod ingruere suppōnimus, obligat ad eam in tuto locandam, per medium quod unum suppetit, posthabita famæ cura.

Ad propositos eventus Suarez respondens quod nos respondimus, nihil dixit improbabile, vel merito repudiandum. Quoad posteriorem vero eventum supra propositum, non est ei lis cum nuperis Thomistis. Censet enim in eo ultimo eventu negandam esse absolutionem: quia is qui dolet exterius de peccatis, sive generaliter tantum, sive in specie, neque eum dolorem externum dirigit ad claves per expositionem externam voluntatis confitendi peccata, de quibus dolet, vel per confessarii evocationem, non exhibet materiam absolutionis in iudicio sacramentali. Ita Suarez, t. 4, 3 part., d. 23, sect. 1, n. 13; ac Ægidius, 3 part., q. 64, num. 103. Ratio eorum est, quia dolor internus, et ejus manifestatio, ut sit idonea dispositio ad absolutionem ex parte pœnitentis, debet afficere et quasi informare aliquam accusationem sacerdoti factam. Ea quippe est quæ compingit sacramentum pœnitentiæ, non autem accusatio facta soli Deo. Oportet igitur ut pœnitens, si ad

absolutionem rite disponi velit, confiteatur sua peccata homini a Deo constituto ad exercendum sacramentale iudicium, ita ut pœnitens illi confiteatur saltem generaliter, nimirum exprimendo voluntatem consequendæ absolutionis, aut confessarium in eum finem evocando.

Contrarium sensere alii, quibus subscribo, et nominatim Manuel Sa, in prima editione, verbo *Absolutio*, n. 11, et Martinus Eisingreni., c. 3 Confessarii, q. 46. Visus est non nemini esse in eadem sententia D. Augustinus, l. 1 de Adulter. conjug., in ipso fine. Admittit enim eandem esse rationem sacramenti pœnitentiæ in homine fideli per ægritudinem oppresso, ac baptismi in catechumeno æque jacente et oppresso per morbum, ita ut neque jam renatus possit petere absolutionem, neque catechumenus baptismum. Qua paritate supposita, cum D. Augustinus concedat talem catechumenum esse baptizandum, consequenter concedit renatum, in eodem statu constitutum, esse absolvendum, etiamsi nihil petat, ac ne confessionem quidem vel confessarium. *Quis enim novit* (inquit S. Pater de talibus catechumenis, et idem dici potest de renatis) *utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra, usque ad baptismum statuerant detineri?* Quasi diceret: Præsumi pie potest de tali catechumeno sic jacente, quod dolorem conceperit de peccato adulterini conjugii, quo se inquinavit, atque adeo in tanta necessitate potest baptizari, etiamsi baptismum non petierit. Similiter ergo in iisdem circumstantiis, qui jam renatus est, posset absolvi, ob præsumptam in eo consequendæ absolutionis voluntatem, quæ continet directionem peccatorum et expositionis eorum ad claves.

Vereor tamen ne hic locus D. Augustini plus ferat quam hic intendamus; ita ut, de ejus sententia, etiam is possit absolvi, qui nullum externum signum dedit, sive doloris, sive voluntatis confitendi, quod D. Augustinus insinuat; passim tamen repudiatur, et nominatim ab Ægidio, 3 part., disp. 5, num. 28; nec immerito, quia cum in tali eventu deficiat materia iudicii adhibenda ex parte pœnitentis, nec dici possit præsumi in voluntate aliqua exterius expressa, sive obtinendæ absolutionis, sive vocandi sacerdotem, temere videretur conferenda absolutio, et cum aperto sacrilegii discrimine, quod merito est declinandum. Jacobus quidem Baius, in Inst. relig. Christ., lib. 2, cap. 91, putat se omnem

difficultatem elidere, dicendo tunc absolutionem dandam esse per modum suffragii, non autem per modum iudicii; sed hoc est valde extra rem, quia hic non quaeritur an sacerdos possit precari pro tali ægro, quod nemo in dubium revocat; sed quaeritur an sacerdos possit illum absolvere sacramentaliter. At hoc fieri non potest absque sententia iudiciali, supponente materiam a pœnitente se accusante expositam cum dolore, quod in hoc eventu plane deest; unde abstinendum est absolutione sacramentali, resque Dei iudicio committenda.

Sistendo igitur in eo oppresso de quo sermo erat, aio eum, quia externa signa doloris edidit, absolvi posse, etiamsi confessarium non petierit, neque expresserit se velle confiteri. Nihilominus enim adhibuit quod ex parte sua necessarium est ad sacramenti confectionem; quia exeruit dolorem externum de peccatis, et aliquam eorum expressionem adhibuit, saltem universalem et confusam, qualem vidimus ex parte materiæ hujus sacramenti sufficere. Si quid ergo ex parte pœnitentis deesset, non posset esse aliud quam intentio suscipiendi sacramentum, quæ adulto est necessaria; et in ea intentione involvitur directio actuum pœnitentis ad claves, ut per se patet. At hujusmodi intentionem in eventu de quo agimus, non deesse, facile probari potest. Nam non minus exigitur voluntas suscipiendi extremam-unctionem, ut sacramentum in adulto sit validum, quam exigitur voluntas suscipiendi sacramentum pœnitentiæ in adulto. Constat vero extremam unctionem conferri jacentibus, etiamsi eam non petierint, nec jusserint evocari sacerdotem ad illam conferendam. Præsumuntur enim nihilominus voluisse sacramento extremæ-unctionis muniri: quia ea voluntas (ut notat Lessius, lib. 3 de Virtutibus, num. 25) contineri videtur in generali actu volendi suscipere sacramenta in vitæ fine, quem actum sæpe elicit quilibet Christianus; et cum de contrario non constat, præsumi potest hominem non retractasse illum actum: qui proinde moraliter in homine perseverat. Suarez, 4, tertia parte, dist. 42, sect. 1, num. 6, ait, eam intentionem suscipiendi extremam-unctionem contineri in actu volendi media, vel necessaria, vel valde utilia ad salutem; quem actum quis fidelis frequenter exerit, si sapiat, nec sit plane prodigus suæ salutis. Cum ergo non constet ægrum revocasse talem actum, aliquando abs se elicitum, et aliunde non

constet quod sit oppressus in peccato mortali, de quo ne attritus quidem fuerit priusquam sui impos fieret, præsumitur perseverare in eo intentio suscipiendi hoc medium salutis; quod si præverit saltem attritio, poterit aptare ægrum ad justificationem accessu sacramenti comparandam. Non dissimilis igitur intentio suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, et subjiciendi peccata sua clavibus, præsumi potest in ægro, qui præ oppressionem non potest confessionem aut confessarium petere, vel antea, cum exeruit signa doloris de peccatis, non poposcit confessarium ob incogitantiam, etiamsi elicit et exterius prompsit signa doloris. Itaque talis æger capax est absolutionis sacramentalis, conferendæ a sacerdote cui dolor ejus externus innotuerit; cum et materiam iudicii sacramentalis ex parte sua necessariam suppeditaverit, et debita intentione pie præsumpta, non destituatur.

Non est autem difficile retundere quod opponeretur, deesse, scilicet, eo eventu accusationem pœnitentis apud sacerdotem; adesse autem solam ejus accusationem apud Deum. Ea enim accusatio apud sacerdotem non deest in hoc eventu, quia, præsupposito dolore peccatorum, continetur in voluntate suscipiendi hoc sacramentum, quam rite præsumi diximus. Eo ipso namque quod habetur voluntas suscipiendi sacramentum, necesse est ut adsit voluntas suscipiendi illud per ministrum, qui unicus est ad illud conferendum, nempe per sacerdotem. Atque ita expressio doloris peccatorum, et latens in eo expositio peccatorum, adjunctam habet accusationem sui apud hominem, Dei loco iudicantem; nec desideratur aliquid ex parte passi, quominus absolutione donetur, supposito quod christiane vixerit, nec fuerit oppressus in æstu ac œstro peccati, sive in flagranti delicto, ut sane supponitur, eo ipso quod constat præmissa esse ab eo, dum sui compos esset, signa doloris, quem retractatum esse ante mentis impotentiam nihil sit quod suadeat. Rebus igitur sic se habentibus, confessarius præsens potest absque scrupulo talem ægrum absolvere, quia innoxius est, eo ipso quod administrat sacramentum ex sententia probabili (cujusmodi sane est ista), et sacro ministerio fungitur quam optimo modo potest; quin etiam tametsi reipsa sacramentum esset irritum, vacaret labe confessarius, ob probabilitatem sententiæ ex qua operatur. Aliunde autem si sacramentum reipsa non sit irritum, poterit

æger susceptione ejus juvari, et acquirere gratiam sanctificantem, sine qua periret, ob non detersum forte per contritionem perfectam mortale peccatum quo sordebat, quamvis supponendus sit habuisse saltem attritionem, ex qua, veluti materia proxima, requisita ex parte passi, compingi queat sacramentum, cujus accessu æger gratiam sanctificantem possit acquirere, nudæ attritionis interventu nequaquam parabilem.

Ex tanta vero ægri de quo agimus necessitate, et summo periculo cui forte objiceretur, nisi per accessum sacramenti locaretur in tuto, efficitur recte Sylvium, q. 9 Supplementi, a. 2, q. 4, ac Pesantium, ad supplement., q. 10, disp. 11, asserere confessarium, in proxime discussis eventibus, non tantum posse licite absolvere pœnitentem de quo agitur, sed etiam ad hoc teneri. Confessarius enim, vel ex charitate, vel etiam ex justitia, si vi muneris ad sacramenta conferenda adigitur, tenetur medium salutis proximo forte necessarium administrare, ut constat ex doctrina generali de obligationibus ministri in sacramentorum collatione. Frivolum vero est quod in contrarium opponit Coquetius, c. 7 dissertationis, n. 41, dicens non esse verum quod liceat sequi opinionem, quæ saltem sit probabilis, quamvis opposita sit probabilior ac plane tuta, et nullum involvens sacrilegii periculum, ex quo sequeretur etiam amplectendam esse ex obligatione eam sententiam, ut extremum ægri periculum avertatur. Hoc Coquetius (tametsi de alio eventu agens) ait *tolerari non posse, cum neque lex charitatis, neque alia liget, nisi ordinatissime, et per media opportuna, non vero periculosa*. Hoc dico frivolum esse, et ut verborum ejus illuviem in caput ejus regeram, aio hoc tolerari non posse. Nam ad evitandum æternum proximi exitium, posse adhiberi opinionem minus probabilem, fuse traditur agendo de conscientia et usu opinionum; et nonnullis exemplis illustratur a Sanchez, l. 2 de Matrimon., disp. 36, n. 9. Quod si talis opinio potest adhiberi ratione periculi imminentis, ergo adhibenda est ex obligatione. Nam Deus mandavit unicuique de proximo suo, et nemo est qui non urgeatur, saltem lege charitatis, ad subveniendum proximo, ut effugiat æternam damnationem, tentatis omnibus mediis quæ aliquatenus probabile sit posse proficere. Et hæc charitas est ordinatissima, adhibetque media opportuna (saltem probabiliter,) et nullatenus periculosa. Totum enim periculum, quod imminere

posset, esset irritandi sacramenti, atque adeo sacrilegii in ejus confectione admittendi. At hoc periculum est inane, siquidem exulat prorsus sacrilegium ab eo modo operandi, propter probabilitatem sententiæ ex qua operatio elicitur. Et cum homo non sit propter sacramenta, sed e contrario sacramenta sint propter hominem, juxta D. Augustini effatum, præstat sacramentum exponere periculo invaliditatis, si forte reipsa opinio, ex qua sacramentum conficitur, esset falsa, quam exponere hominem irreparabilis damni periculo, si forte reipsa opinio, ex qua sacramentum admovetur, vera esset. Salvaretur enim homo adhibito tali remedio; eo autem non adhibito, rueret in exitium sempiternum.

Itaque obligatio absolvendi, in eventu, de quo agimus, aliisque similibus, rata esto, non tantum quoad eos qui sententiæ nostræ inhærent, sed etiam quoad adversarios, qui speculative censent eam esse falsam. Nihilominus enim ob summum proximi periculum, obligantur nostram practice sequi, et propriam deponere, etiamsi esset probabilior, juxta principia generalia in tractat. de Conscientia, et de opinionibus. Et ita in hoc ipso negotio Vasquez, 3 p., q. 91, art. 4, dub. 2, et 1. 2, d. 63, c. 2; Tannerus, t. 4, disp. 6, q. 9, dub. 1, n. 14; Zambranus, c. 4, dub. 2, sect. 6; Sanchez, l. 1 in Decal., c. 9, n. 33; Becanus, 1. 2, c. 4, q. 9, n. 10, et alii adducti in tractatione de Conscientia.

FINIS APPENDICIS POSTERIORIS.



INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ACTIO.

Actio duplici modo potest ratione distingui, append. 1, c. 29.

ACTUS.

Primus actus supernaturalis fidei, spei, charitatis, et a quo principio proximo procedant, append. 1, c. 4.
Deus, ut supernaturalis causa et prima, physice et realiter efficit actus nostros supernaturales, id.
Unde proveniat quod noster intellectus et voluntas possint per vires naturales clicere aliquos actus imperfectos circa objecta supernaturalia materialiter sumpta, append. 1, c. 11.
Actus prædestinatorum qui ad vitam æternam conducunt, nullo modo dici possunt præter intentionem Dei, append. 1, c. 15.
Duplex reductio de potentia in actum; una agentis, altera potentiæ passivæ, append. 1, c. 30.
Omnes actus liberi boni dici possunt esse ex intentione Dei, id.

ADVERSARIUM.

Ad quas angustias ex adversariorum doctrina redigatur nostra libertas, append. 1, c. 18.
Adversariorum doctrina rejicitur, et videtur contra definitionem Concilii Tridentini, id., c. 19.
Adversariorum inconstans doctrina, id., cap. 20.
Quibus difficultatum labyrinthis se implicent adversarii, id., c. 18.

ARBITRIUM.

Vide LIBERUM ARBITRIUM.

ARGUMENTUM.

Argumenta ex naturali insufficientia liberi arbitrii ad opera gratiæ, append. 1, c. 30.
De argumento sumpto ex errore Pelagii et ex libris S. Augustini de Gratia Christi, et de Gratia et libero arbitrio, id., c. 33.
De argumento sumpto ex errore Semipelagianorum, et ex libris Augustini de Prædestinatione Sanctorum, et de Dono perseverantiæ, cum Epistolis Prosperi et Hilarii, id., c. 34.
De argumento sumpto ex Dono perseverantiæ, et de Correptione et gratia, id., c. 35.

AUCTOR.

Quantum distet sententia auctoris a sententia Gallorum et Semipelagianorum, append. 1, c. 5.

AUGUSTINUS.

Expenditur sententia Augustini in quæst. 2 lib. 1 ad Simplicianum, append. 1, c. 36.

AUXILIUM.

Auxilium sufficiens dari, quam certum, append. 1, c. 1.
Datur aliquod auxilium tantum sufficiens, id.
An tale auxilium sistat in ratione sufficientis, et ad effectum non perveniat ex defectu ulterioris auxilii quod in potestate hominis non sit, vel ex incongruitate aliqua a Deo intenta et captata, vel tantum ex hominis defectu et libertatis abusu? id.
Supponitur dari auxilium efficax, id.
Per efficaciam auxilii quid significetur, id.
In quo sensu possit dici auxilium efficax proprium esse prædestinatorum; sufficiens reproborum, id.
Etiam in reprobis dantur multa auxilia efficacia ad eos effectus propter quos proxime dantur, id.
Auxilium efficax quodnam sit, id.
Auxilium sufficiens, quid, id.
Si auxilium sufficiens est vere sufficiens, cur nunquam consequitur effectum actus secundi, id.
Cur tale auxilium non dicatur potius inefficax quam sufficiens, id.
Auxilium sufficiens ex se, unde habeat quod sit inefficax, id.
Divisio auxilii gratiæ in excitans et adjuvans, append. 1, c. 2.
Vide, GRATIA.
An efficax auxilium sit solum concomitans vel etiam præveniens? id.
An auxilium præveniens sit efficax et differat a sufficiente in additione auxilii prævenientis completis efficaciam? id.
An Deus per auxilium faciat ut velimus? id.
Diversitas opinionum quoad auxilium concomitans, id.
Opinionum diversitas ex parte auxilii prævenientis, id.
Auxilium præveniens manens in ratione prævenientis potest esse et dici efficax, id.
Efficacia auxilii prævenientis, quatenus tale est, unde proveniat, id.
Tria auxilia ad actum conversionis a quibusdam requisita, append. 1, c. 3.
Secundum genus auxilii rejicitur, id.
Per alia duo sufficienter salvantur omnia quæ de efficientia gratiæ fides docet, id.
De modo sufficientiæ et efficientiæ primi auxilii magna differentia, id.
Quidam Doctores, ponentes secundum auxilium, interdum insinuant non esse necessarium tertium, id.
Investigatur mens auctorum secundi auxilii, id.
Tale genus auxilii non legitur in Scripturis, neque in Conciliis, neque in Patribus, id.
Cur illud genus auxilii auctor non admittat, id.
Primum auxilium unde cætera incipiunt, prima gratia appellatur, append. 1, c. 10.